

8

ORATIO.

DE DIGNITATE
ET PRÆSTANTIA EIVS IV.

risciuis partis quæ de Actionibus in-
scribitur, composita à Paulo

Lignario Vuratis-
lauiensi.



INGOLSTADII EXCVDE-

bant *Alexander & Samuel Vueys-*
senhorn fratres.

Anno Gratia, M. D. LXIII.

NOBILIBVS, DOCTISSI-
MISQUE VIRIS, HEINRICO LANGE-
mantel, Georgio Pfister, Hieronymo Nade-
ler, & Danieli Neudecker, com-
militonibus & amicis suis
suauissimis, S.D.

SCripfi nuper orationem extemporaneam
de dignitate, & fructu *Acitionum*, quam cum nonnul-
li, quibus legendam exhibueram, à me enixe efflagitarent,
typis excudendam dedi, partim ut horum petitioni satisfa-
cerem, partim ut haberem, quod uobis Dominis & amicis
meis, recepta dudum consuetudine, *Xenij* loco darem.
Quare cum sors iniqua mihi aurum, & gemmas negarit,
chartaceum hoc munus boni consulite, exemploq; *Arta-
xerxis* non tam donum quam donantis animum respicite.
Valete athleticè. Datum Ingolstadij III. Non. Ianu.
Anno LXIIII.

V. ex asse.

Paulus Lignarius.

ORATIO DE PRÆ STANTIA ET DIGNI- tate Actionum.



VOD FAVSTVM

& felix sit doctissimi Domini,
post expositam eam iuris par-
tem, quæ in contemplatione
magna ex parte consistit, supers-
est, ut consequenter nos ad
Actionum tractatum accingam-
us. Quia autem (ut nostis)

materia hæc doctrinam continet pregnantem & profun-
dam, adeo, ut primas sibi facile in legali scientia partes
uendicet, ego operæ precium me facturum putavi, si, pri-
usq̃ ipsam rem aggrediar, nonnulla de eius præstantia,
dignitate, & utilitate, pro ingenij mei tenuitate apud uos
præferer, in hunc maxime finem, ut hac mea extemporali
Oratiuncula tam præclaram, tam opimā materiam uobis
commendatiorē redderem, et uos ultrò currentes ad eius
studium magis magisq̃ accenderē, & ad perseverantiam
cohortarer. Ne aut solito sim prolixior, operam dabo, ut
quàm paucissimis totum negotium absoluam. Quare ut
me dicentem æquis audiatibus auri-
bus rogo.

Affinia studia sunt in omnibus disciplinis Theoricæ &
Practicæ, adeo, ut alterum sine altero nec cōsistere possit,
nec sit integrum. Si tamen utriusq̃ naturam intentioni

A 2 oculo

oculo quis introspeciat & rimetur, sine omni controuersia depræhendet, principaliorẽ & potiorẽ locum in omnibus artificijs obtinere Practicam, tanq̃ rerum magistram & omnium disciplinarum complementum.

Videmus omnes res in natura ita à Deo conditas esse, ut nulla earum, aut exigua sit utilitas, si effectu & exercitio destituantur. Habent Sol, Luna, & reliqua sydera suos fines. Item Medicina, Architectura, Gymnastica. Sed quæ sanè Solis esset utilitas, si non uiuifico suo calore inferiora hæc corpora foueret, & resiceret? Quis Architecturæ, Medicinæ, Palestræ fructus si nunq̃ in actum deducantur?

Cicero dum inuehitur in Atheniensium Philosophos, inter reliqua hoc eis maxime exprobrat, qd' sibi tantum non alijs philosophentur. Quibus uerbis diuinus Orator tacite innuere uult, in quouis studio cõtemplationi longè præferendã esse actionem, tanq̃ digniorem, & ex qua plus utilitatis redundet ad uniuersos, cū bonum sit communicatiuum sui, & quælibet ars tantò habeatur preciosior quantò pluribus inseruit.

Moeretur & scientia speculatiua suas laudes, iucunda est, suauis, nō exposita publicis molestijs, iterq̃ ad actionem sternit. Sed ut uerū fatear, sine exercitio ieiuna est, & inanis cõtemplatio, quæ domi latet imperfecta et ociosa, publicè paucis aut nemini prodest: uerū Practica in harenam descendit, domi sapienter excogitata ad usum publicum transfert, alijs communicat, cõmuni mortaliũ necessitati succurrit, seq̃ alijs aut admirandã aut corrigendam proponit, omniq̃ artificio exercitio suo perfectionem, & supremam manũ addit. Hinc est quod Princeps Philosophorum Aristoteles, (prout eum allegat Speculator in tractatu

tractatu Libellorum) ait, usum & actionē docuisse, quod
sapiat omnis homo. Natura enim potentem, ars facilem,
usus perfectum reddit artificem, glos. in uerb. Magistra
rerum. c. quam sit de Elect. lib. 6.

Ex quibus satis euincitur cuiusvis Scientiæ efficaciam,
utilitatē & profectiōem in actione potissimū cōsistere,
hancq̃ omnium artium metam, hunc scopum esse.

Sicut itaq̃ reliquæ artes steriles sunt & inutiles sine
actione, ita in ueritate Iurisprudentia etiā nostra, manca
est effoeta, & inutilis, si exercitio destituatur, unde nō in-
uenustē Flaccus Leges uanas dixit, sine moribus, id est si
usu careant.

Cognatio quædam est inter Architecturā & Iurispru-
dentiā. Architectus qui intra priuatos delitescit parietes,
suis cōtentus imaginationibus, quid quæso aliud est (ut
ita dicam) quā *ὡς κορυφαίος ὡ πορ* sibi placet, sibi soli seruit, et
dum de scientia sua maiora sibi, quā par est, somniat, fit, ut
rarō uel nunq̃ absolutā artis cōsequatur notitiā: Verū
dum manū operi admouet, illudq̃ ad præcepta & amul-
sim artis examinat, aut cum aliorum structuris confert, in
publicū consulit, suasq̃ cognoscit & experitur uires, eoq̃
modo aditū sibi parat nō solū ad ipsa artis penetralia, ues-
rum etiā summā perfectionem. Idem de Iurisconsulto &
Iurisprudentia statuite.

Summa itaq̃ uis & potestas omniū disciplinarum sine
omni controuersia in actione sita est. Nec obstat quod
Theorica & Practica sibi inuicē ancillantur, alteriq̃ alte-
ra inseruit: Nam nihilominus pro constanti asseuerare
audeo, plus ualere usum sine arte quā artē sine usu. Hinc
est quod sacratissimus iuris ciuilis Antistes Baldus inquit
in suo Feudorū tractatu, Tum demū sapere leges, cum

A in practican-
antur,

practicantur, ueramq̃ interpretationē iuris à Practica summi, dictū sanē aureum & menti diligenter infigendum, quodd esse uerissimum experientia nos docet.

Videmus plurimos, qui in iuris studio longo hæserūt tempore, si de incidenti aliquo casu consulantur, turpiter hallucinari, & minus indocto quouis Practico ^{πρὸς ἑκάστου} (ut Græci aiunt) respondere, quodd non aliunde profisciscitur, quā quodd cōtenti studio cōtemplatiuo, iura solū modo discurrunt, & in eis contenta nec exercent, nec digerunt: unde cum in forum ueniunt, in peregrina sibi uersari uidentur terra, sæpeq̃ cum dedecore & gemitu studium iuris, quo se probè defunctos arbitrabantur de nouo exordiri coguntur.

Quare doctissimi Domini, ne idem uobis cōtingat sed dulo caute, et cū authore Iustiniano nostro nihil actum sit, dum aliquid addendū superest, mortua autē & imperfecta sit contemplatiua Iurisprudentia sine praxi, ut ex præcedentib. quouis sana mente præditus conijcere potest, utranq̃ ut coniungatis uos adhortor & moneo, ita enim non solum in perfectos euadetis Iureconsultos, & causarum patronos, uerū etiam & uestris & publicis egregie cōsuletis rebus, cū militia hæc forensis nō minus necessaria sit generi humano, quā militibus eius laudabilis, gloriosa, & quæstiuosa. Sine Practica enim ut ait Imperator in L. Aduocati. C. de aduo. diuer. iudiciorū, humana societas nec cōsistere, nec quis rem unq̃ facere potest. Hec. n. neruus est Rerū publicarū et unica ad diuitias semita, ideo in ea stare debet pondus diei & æstus, ut ait Hippolytus de Marsilijs, nobilis Doctor Bononiensis.

Nec est quodd uos à tam præclaro studio absterreat difficultas, aut dolus & captiones, quibus hæc iuris pars malitia.

malitia caufidicorum nostri æui inuoluta & grauiata est.

Fateri nos quidem oportet, magnā esse huius doctrinæ difficultatem. Proposita. n. facti contingentia, congruam inde posse elicere actionem, naturam eius fundamentumq; intelligere, & super hoc aptam uniuersæ causæ collocare superficiem, non uulgaris equidem ingenij opus est, sed labor, qui etiam doctissimorum animos fatigat. Totius enim processus basis & norma est actio. Non tamen propterea animus despondendus est, sed potius cogitandum, Deos posuisse sudorem ante uirtutem, nihilq; tam esse inuium aut arduum, quod indefesso studio, & auxilio Dei omnipotentis, qui (ut Iustinianus noster ait) & res penitus desperatas donare, & consummare uirtutis magnitudine potest, humana industria superare non ualeat.

Præterea etiam inficias ire non possumus, magnam esse nostris temporibus huius artis in foro corruptelam, uulgoq; malè audire, ea de causa maximè, quod Causidici nostri æui à recto Iurisprudentiæ tramite deuiantes, uerapro falsis uēditare, tempus friuolis exceptionibus extrahere, genuinam & sinceram actionum doctrinam inanicautelarum fucō coinquinare & adulterare consueuerunt, non sine paruo multorum bonorum uiroꝝ incommodo, adeo, ut id, quod olim de Iustitiæ foro eiecta dictum fuit, de hoc nostro corruptissimo seculo uerius prædicari possit. Quæ omnia tanq; notoria quamuis nemo negare possit, his tamen non obstantibus nō ideo deferenda est statio. Eodem enim morbo & prisca laborauerunt tempora, parumq; prudentis ingenij est, propter inutilia, utilia uel obſcere uel deferere, præsertim cum natura ita comparatum sit, ut nihil tam
bonum

bonū sit, tam sanctum, tam inuiolabile, quod abusum, & malitiam mortaliū effugere possit: Imdeam ob causam tanta maiori animi cōtentione, in sacrosanctū hoc Actio-
num studiū nobis incumbendū est, ut sana doctrina in-
structi & premuniti, Causidicorū calumnias, imposturas,
& laqueos eo melius euitare & cōfundere ualeamus. Si-
cut enim ruta tutos nos reddit, contra uenena, ita sincera
doctrina contra calumnias securos nos præstat.

Quare doctissimi domini, cū ex his quæ hactenus dicta
sunt luce meridiana clarius sit, nullius momēti esse theo-
ricam siue praxi, uerum omnem potestatem, & medul-
lam Legum, in actione positam esse, nec hac iuris parte
quicquid existere præstantius, utilius, absolutius et humano
generi magis necessariū, omnes itē res à Deo ad hunc fi-
nem, actionē uidelicet conditas esse, si uestram præclare
uultis collocare operā si uestris, publicisq; benè prospis-
cere rebus, rogatos & admonitos uos uolo pro singulas
rimo in uos amore, ut in hoc præstantissimum Actio-
num studiū omnibus animi & corporis uiribus incum-
batis, illudq; cum speculatiua iuris scientia, quā hactenus
percurrimus summa diligentia coniungatis. Hoc
enim pacto non solum in perfectos euadetis
Iureconsultos & artifices, uerum etiam
nomen uestrum immortalitati
consecrabit. Dixi.